



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis
Romanorum Pontificum**

Liutprandus <Cremonensis>

Moguntiae, 1602

LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

LI.

GELASIUS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annis 4. mens. 8. diebus 18. Hic inuenit Manichæos in vrbe, quos in exilium deportari præcepit, & eorum codices incendio concremari, & in Synodo cum fletu sub satisfactione libelli purgatum Mesenum Episcopum reuocauit, & suæ Ecclesiæ restituit. Iterum venit relatio de Græcia quod à Petro & Achatio multa mala & homicidia fierent. Quo tempore fugiens Ioannes Alexandrinus Catholicus Episcopus venit Romam. Quem B. Gelasius cum gloria suscepit, & ei secundam sedem præbuit, factaq; Synodo misit per tractum Orientis, & iterum damnauit in perpetuum Petrum & Achatium, si non sub satisfactione libelli postularent pœnitentiam. Fecit etiam sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone. Qui sepultus est in B. Petri basilica 11. Kalend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 7.

LII.

ANASTASIUS, natione Romanus, ex patre Petro de regione quinta Caput tauri, sedit anno 1. mensibus 11. diebus 24. Hic propterea quia communicauit cuidam diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acatio sine consilio Episcoporum, presbyterorum, vel clericorum Ecclesiæ Catholicæ, suspenderunt se ab eius communione. Qui etiam, cum voluisset Achatium occultè reuocare, & non potuisset, nutu diuino percussus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 13. Calend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 4.

LIII.

SYMMACHUS, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annis 15. mensibus 7. diebus 27. Hic sub intentione ordinatus est vna die cū Laurentio, & Symmachus quidē in basilica Cōstantiniana, Laurentius in basilica S. Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est Senatus. Et facta intentione vtraq; pars cōstituit, vt ambo ordinati ad iudicium Regis Theodorici Rauennā pergerent. Quod dum factum fuisset, iudicauit Rex, vt qui primus ordinatus fuisset, vel cui maxima pars consentiret, ipse teneret sedem Apostolicam. Vnde factus Præsul Symmachus est, & constituit Laurentium in Nucerinam ciuitatem Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos yerò quatuor zelo ducti aliqui ex clero, &

ex Sena-